CAPUT VII.

De Incraſſantibus.

§. 1.

Definitio. MEdicamenta *Incraſſantia* latè ſumpta *adſtringentibus* connumerantur, ſed ſtrictiùs ſumpta ab illis diſtinguuntur duplici ratione, tùm quòd leviore gradu efficaciæ operentur, tùm quòd ſolùm Humores peccantes, adſtringentia autem & liquidas & ſolidas partes juxta reſpicere concipiantur. Proinde hîc *Incraſſantia* ſtrictè dicuntur, quæ particulis terreſtribus & craſſis inſtructa, humorum tenuitatem moderatè inviſcare valent, & quidem *per ſe* effectum ejuſmodi præſtando, unde rurſus differunt ab iis, quæ *per accidens incraſſant*, ſuperfluam nimirum humiditatem abſumendo & exhalando, aut etiam per quaſcunque ſecretionum vias copioſè depellendo.

Quibus dicentur affectibus? §. 2 *Incraſſantia Remedia* dicantur Humoribus vitioſis & præternaturaliter fluxilibus, tenuibus, mollibuſque; nec non particulis eorundem nimis acribus, quos quidem humores vel abſorbendo edulcorare, vel inviſcando, porosque eorum opplendo, incraſſare valent. Atque hinc Remedia talia in variis Affectibus neceſſaria ſunt, velut in *Hæmoptoe, Catarrho pectorali, Hæmorrhagiis quibuſcumq;, Diarrhœis, Diabete, nimio Sudore, Synoviâ Vulnerum* nervorum, item in *Eroſionibus internorum viſcerum* & *membranarum*, non ſecus atque *partium externarum*.

Principia incraſſantium. §. 3. Incraſſantia Medicamenta variæ ſunt texturæ; nonnulla enim conſtant particulis *aqueis & mucilaginoſis*, in receſſu ſubinde volatilibus, prout ſunt *Albumen Ovi*, *Semen Cydoniorum* & *Pſyllii*, *Gummi*

Gummi Tragacanthum, *Arabicum*, *Gelatina C.C.* vel alia quævis, *Radices Consolidæ majoris*, *Althææ*, *Malvæ*, *Herba Telephii*, *Folia Indicæ Ficûs*, &c. Alia verò constant particulis *lentis*, *crassis*, *terrestribus*, sale volatili destitutis, quemadmodum habemus *Terram Lemniam*, aut *sigillatam* quamvis, *Bolum Armenam*, *Lapidem Hæmatitem*, *Cretacea*, *Testaceaq;* omnia, ut & *Calces Metallorum*, pulveresque è *Marte ppt.* Denique alia turgent *particulis oleosis crassiusculis*, veluti *Lac*, inprimis *chalybeatum*, *Semina quatuor frigida majora*, *Nuclei Persicorum* & *Amygdalarum*, indeque paratæ *Emulsiones*.

§. 4. Tandem & *Narcotica*, *Sulphure crasso* pollentia, *Incrassantium* numero accensentur, prout sunt *Opiata*, quæque ex *Papaveribus* parantur, *Syrupus* nimirum *anodynus*, *Papaveris rheados*, *Diacodium Montani*, *Requies Nicolai*, *Laudanum opiatum*, *Pilulæ ex styrace*, de *Cynoglossâ*, *Theriaca* & *Extractum theriacæ*, sive *Theriaca cœlestis*, *Diascordium Fracastorii*, *Philonium Romanum*, *Electuarium Ovietanum*, &c.

Formulæ incrassantium.

℞. *Bol. armen.*
Unicorn. fossil.
Corall. alb. ppt. ana ʒij.
Sacch. cand. alb. ʒiß.
M. F. Pulv. subt. d. ad scat. Dosis ʒß. vel ℈ij. mane ac vesperi. Vel

℞. *Terr. sigillat.*
C. C. ust. ana ʒij.
Croc. Martis adstr. ʒj.
Sacch. ros. tab. ʒij.
M. f. Pulv. Dosis ut suprà. Vel

℞. *Corall. rubr. ppt.*
Lapid. hæm. ppt.

Matr. perl. ppt.
Terr. Lemn. ana ʒiß.
Ocul. 69. ppt. ʒj.
Rotul. Berb. ʒiiß.
Laud. opiat. gr. iv.
M. f. Pulv. subt. d. ad scat. Dosis ut suprà.
℞. *Conserv. Ros. rubr.*
Plantag.
Flor. Aur. ana ℥ß.
Condit. Nuc. mosch. ʒj.
Confect. Hyac. ℈ij.
Unicorn. fossil.
Diaph. Martial.
Bol. arm. ana ʒß.
Syrup. Cydon. q. s.
F. Mixtura ad form. opiatæ. Dosis subinde Nucistæ magnitudo.
℞. *Extract. Consol.* ʒj.
Terr. sigill.
Matr. perl. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana ℈ij.
Succin. alb. ppt. ʒß.
Ol. still. Mac. q. s.
M. f. Pilul. num. centum, conspers. pulv. Bol. arm. detur ad scat. Dosis 10.
℞. *Extract. Cort. tamar.* ℈j.
Mastich. elect. ʒj.
Theriac. cœlest. ℈ß.
Diaph. Martial.
Bol. armen. ana ℈ij.
Ocul. 69. ppt. ʒß.
Cum Ol. still. Succin. f. l. a. Pilul. no. centum, deaur. d. ad scat. Dosis 10. mane ac vesperi.
℞. *Amygd. dulc. rec. exc.* ℥ij.
Sem. Cucum.

Cucurb.

Cucurb. ana ℥ß.
Aqu. Chalybeat. ℔j.
Plantag. ℥vj.
Burſ. paſt. ℥iv.
F. l. a. Emulſio cui adde
Rot. man. chriſt. ſimpl. ℥j.
D. ad Vitr. Doſis ſingulis trihoriis ℥ij.

CAPUT VIII.

De Repellentibus.

§. 1.

R*Epellentia Remedia*, vel ſolâ vi vocis, ea dici poſſunt medicamenta, quæ humorem in aliquâ parte ſtagnare incipientem impediunt aut cohibent, ſicque tumorem fortè oriturum à parte affectâ arcent. Dicuntur etiam ab aliis *Repercutientia*, *Repercuſtica*, *Reprimentia*, aut *Defenſiva* magnamque affinitatem obtinent cum *Incraſſantibus* & *Adſtringentibus*. *Definitio.*

§. 2. Remedia hæcce, ſi uſum ſpectemus, externè tantùm uſurpari ſolent, neque adeo frequenter, quoniam non ubique repellere, ſanguinisque circulum cohibere licet, ſi verò ad modum agendi attendatur, protinus dicendum eſt, non humorem, qui influxit, juxta quorundam Veterum ſententiam, repercuti, ſed potiùs qui influere, & nimiâ copiâ in aliquam partem irruere, inibique ſtagnare tentat, atque ſanguinem nimis rarefactum nonnihil incraſſari, poros coarctari, glandulas ſubcutaneas conſtringi, fibrasque corrugari ac firmari, ſicque impediri, quò minus in parte humor qualiſcunque colligi queat. *Uſus.*